Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 565

Quelle:
Copyright:

Temporalis vita eterne comparata mors eſt pocius &c. Porrigitur usque ad C. XXXVII. v. 12.

CXCI. VI. H. 25.

665 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 17. reipſa 13. 4. Exemplum enim partim duplex eſt, hunc Titulum praefert: *Gregorii de Animo ſeu Animi Immortalitate. Ad Tatianum. Liber ſingularis Græcolatinus. Claudio Ancanthero M. D. et ſacræ Cæſareæ Maieſtatis Hiſtorico interprete. Gregorius* hic *Neocaeſarienſis* in *Ponto* Epiſcopus perhibetur, Sec. III. clarus, et *Thaumaturgus* adpellatus, cujus Scripta *Fabricius* enumerat *Bibl. gr.* L. V. c. 1. noſtrumque hunc primum editum graece ait a *Ger. Voſſio* adjecta verſione ſua lat. *Moguntiae* 1604. cum aliis *Gregorii* Operibus 4. et iterum Verſionem hanc lat. cum Claud. Mamerto a Caſp. Barthio Cygneae 1655. 8. quae Editiones mihi adjacent. Aliam Verſionem extare addit in *Bibl. PP. Pariſ.* 1589. T. 3. At certum eſt, Verſionem hanc jam extare in edit. prima *Bibl. PP. Marg. de la Bigne. Pariſ.* 1576. T. VIII. *col.* 45. et etiam Verſionem *Ancantheri* noſtri jam Sec. XVI. lucem adſpexiſſe. Quamvis enim Editionem nunquam oculis uſurparim nec alicubi adnotatam repererim, ideoque nec de anno pronuntiare queam, ipſa tamen *Ancantheri* aetas, ut infra adparebit, et vel maxime *Codex* noſter Typothetarum notis folia et paginas impreſſionis indicantibus ſignatus rem liquido evincit. Dicat porro Interpres noſter laborem ſuum *Ill. D. Domino Ferdinando Hofman Lib. Baroni in Grüenpüchl et Strechavo, in Græuenſtain; Supremo Hereditario Aulæ Magiſtro Duc. Styr. et Supremo Hereditario Mareſchallo Archiduc. Auſtriæ et Ducat. Styr. S^æ. Cæſ^æ. Majeſt^is. Conſiliario et Aulicæ Cameræ præfecto, erudita Praefatione, quae* incipit: *De Animi natura — ueterum multiplices diſtractaeque ſententiae fuere* &c. Sententiis his ampla Veterum cognitione expoſitis ita pergit: *Hunc igitur de animi Immortalitate libellum — latine uerti et in tuo multo ampliſſimo et ornatiſſimo nomine, Præſes Illuſtriſſime, diuulgaui tum ut cognoſceres, quanta ardeam cupiditate alicuius gratiæ apud te promerendæ, tum etiam tibi nuncupatum gauderes, quod e Perilluſtris et perhumani Viri Rudolphi Coraduccij aulici Conſiliarij omni lectiſſimorum librorum genere referta Bibliotheca ſit profectus.* Bibliothecam hanc a *Coraduccii* Imperii deinceps Vicecancellarii Heredibus emtam *Ferdinandus* II. Domui Profeſſorum S. J. *Viennae* dedit, ut habes *Lambec.* L. I. p. 65. edit. *Kollar. col.* 136. *Seb. Tengnagelio* noſtro eam, dum viveret, modis omnibus depoſcente Bibliothecae Auguſtae, cujus vota ſaltem ab Ordinis extinctione impleta ſunt. De ipſo Libello ſenſum ſuum ita aperit *Ancantherus: Libellus Gregorij nomen praefert.*